



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 4. An ad validam Ordinationem requiritur contractus physicus
instrumentorum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

sumptus, sive Ordinatio aliqua sit verè & propriè Sacramentum, ex Trid. sess. 23. can. 3. Secundùm omnes Catholicos Presbyteratus est verum Sacramentum. Idem nunc sentiunt multi de Episcopatu ut distincto à Presbyteratu. Certum est etiam Diaconatum esse Sacramentum. Idem multi paucis exceptis docent de Subdiaconatu. Sed non pauci id negant de Minoribus.

Q. 3. Quenam est materia & forma Ordinum?

Resp. Certum est illorum formam esse verba prolata ab Episcopo illorum Ministro, dum materiam essentialem applicat. Sed Theologi dissentiunt circa essentialiam materia Presbyteratus, & Diaconatus. In praxi diligenter observanda sunt ea omnia, quæ in Pontificali Romano præscribuntur: tum quia id tutius est ad valorem: tum quia ritus integer necessarius est saltem ex præcepto. Hinc si quid fortè omissum fuerit, illud cautè supplendum est, ex c. 1. & ult. de Sacram. non iterandis.

Q. 4. An ad validam Ordinationem requiritur contactus physicus instrumentorum?

Resp. Quamvis multi putent sufficere contactum moralem Patenæ, quo quis Calicem tangens censetur & Patenam superpositam tangere; tamen quia hoc non est omnino certum, in praxi curandum est, ut semper immediatè ac physicè tangantur & Calix, & Patena cum Hostia. Idem dic de aliis: nam circa Sa-

cramentorum valorem tenemur sequi in praxi partem tutiorem, relictâ incertâ licet probabiliore.

Q. 5. Quisnam est Minister Ordinis?

Resp. Solus Episcopus est Minister Ordinarius omnium Ordinum, ex Florent. & Trident. sess. 23. cap. 4. & can. 7. Ex commissione tamen Papæ simplex Sacerdos conferre potest. 1. Tonfuram & Minores Ordines, ex Trid. c. 10. id apertè supponente, & ex praxi recepta: nam Cardinales in propriis Ecclesiis, & Abbates eos de facto conferunt. 2. Subdiaconatum, ut fatentur omnes, & de facto hoc privilegium Abbatibus pluribus concessum est. De Diaconatu negant multi.

Episcopatum verò & Sacerdotium nunquam conferri nisi ab Episcopo constat ex traditione, & perpetua praxi Ecclesiæ, in qua nunquam ab alio collata sunt.

Q. 6. Quosnam Episcopus potest licitè ordinare?

Resp. Solos suos subditos, vel habentes Dimissorias, vel speciale ad id privilegium, ex Trid. sess. 23. c. 8. ubi ordinans subditum alienum sine consensu & testimonio proprii Ordinarii de probitate & moribus ordinandi suspenditur ad annum à collatione ordinum: ordinatus verò ab executione Ordinis suscepti, quandiu videbitur proprio Ordinario. Item non licet Episcopo ordinare etiam suos in Diocesi alterius sine hujus consensu.

Porro